itinere à Malatha, quam Eusebii ætate præsidiarii Romanorum milites tenebant (*i*). Apud Ezechielem 47. 19. Thamar omnium prima meridionales Terræ sanctæ limites, ductâ lineâ à Mari mortuo adusque Mediterraneum, definit. Congruunt cum Ezechiele Tabulæ Peutingeri, & Ptolemæi, quorum postremus *Engaddæ* in loco inferiori ejusdem maris Septemtrionem versùs consignat. Engaddam ipsam eandem esse cum *Asason-Thamar* apertè demonstrat Textus 2. Par. 20. 2. Porrò Engaddi non longè à Jericho collocata, media erat inter mare & eandem Urbem, teste Plinio & S. Hieronymo.

Neque pariter in definiendo Jerosolymę situ cum vulgaribus Tabulis convenimus; est enim meridionalior quàm plerumque constituatur; utì ex dimensionibus ductis è Jamnia, Samaria, Ptolemaide, & Jericho intelligimus. Ad hæc narrant Itinerantes, venientes se è Jericho & Jordane Jerusalem viam ita tenuisse, ut trium horarum spatio secundùm mare Mortuum, aliquantò tamen ab illo distantes, iter haberent (*k*). Adde pariter è Jericho in Bethlehem venientes, Jerusalem vel ejus urbis vicinias repetere [*l*]. Non est ergo Urbs adeò Septemtrionalis, ut plerumque constituitur, si cum mari Mortuo conferatur.

Meridionaliores etiam constituendæ sunt Geth, Bersabee, Gerara, Maon, Arad, & aliæ nonnullæ. Legimus 1. Par. 7. 21. antequam ex Ægypto digrederentur Israelitæ, Ephraimitas in ulteriora regionis Getheæ penetrantes, pellere inde veteres incolas tentasse, sed frustra; referre enim pedem non sine suorum cæde coacti sunt. Non ergo multùm aberat regio Geth ab altera regione Gessen, loco Israelitis in sedem destinato. Ad hæc, Siceleg Urbs erat Regi Achis subjecta (*m*); hæc autem in plaga maximè Meridionali Juda constituta erat. Geth & Accaron duæ habebantur Urbes in extremis finibus regionis Philistææ, hæc ad septentrionem, Geth verò ad meridiem. Jacebat ergo Geth ultra Gazam, quam scilicet Urbem Geographi nostrates constituerunt, veluti ditionis Philistinæ ad Ægyptum postremam. Tandem S. Hieronymo Geth Urbs est finitima ditioni Juda in via Eleutheropoli Gazam (*n*). Sed meridionaliorem planè demonstrat Textus 1. Par. 1. 7. 21. ubi de bello Ephraimitarum in Ægypto adhuc versantium adversùs Getheos. Non longè abfuisse oportet à *Meteg*, de qua 2. Reg. 8 10. sive à Melca vel Metec statione Israelitarum in deserto in viciniis Geth & Asmonę, utì legimus Num. 33. 28. Porrò *Meteca* confundenda est facilè cum Meteg; quo modo conciliantur Textus Regum & Paralipomenon; in uno enim legimus David cœpisse *Geth & Filias ejus*; in altero verò *Meteg & matrem*; nempe Meteg & Geth.

Extremam oram meridionalem Palæstinę tenebat Bersabee, quemadmodum Dan Septentrionalem. Viginti millibus passuum ab Hebron meridiem versùs constituunt Eusebius & S. Hieronymus, quos sanè loci præsidio Romanorum insignis situm ignorasse vix credimus. Æquâ intervalli ab Hebron distantiâ, & ad eandem plagam spectabatur Arad, non longè proinde à Bersabee posita.

Nota erat Abrahami ætate Gerara (*o*), Urbs in Arabia Petræa [*p*], inter Cades & Sur, limites Chananęæ Ægyptum versùs unà cum Gaza designans (*q*). Viginti quinque millibus passuum ab Eleutheropoli ad meridiem constituunt Eusebius & S. Hieronymus. Ne dubitans quidem autumo, eandem esse Urbem cum *Gera* Strabonis (*r*), juxta montem Casium, & Urbem sive campum Chabriæ; sed multo quàm par est proximiorem Pelusio ab illo collocari censeo.

Locus & desertum *Maon* frequenter in Scriptura recurrit; nec aliud eo nomine designari censeo, quàm Urbem *Manis* sive Meonis in viciniis Gazę, de qua Eusebius. Campum Mænæum, juxta *Versabinum* sive Bersabee, legas in Codice Theodosiano, lege 30. Desertum Maon, sive Nabal, ubi sedes habebat suas Nabal vir Abigail, non longè abfuisse credendum est à Phara, cùm David & Abigail, altera è monte Carmelo in Arabia, alter è Pharam moventes, post confectam aliquam viæ portionem infra Carmelum sibi invicem occurrerint (*s*). Maon ad meridiem situm erat Jesimon, vel Efemonę (*t*), ac proinde multùm intra Arabiam Petræam. Hanc ipsam Urbem Maon sive Meon Metropolim Meoniorum constituo. Arad juxta Eusebium spectabatur 20. mille passibus ab Hebron, meridiem versùs; & *Horma* sive Harma seu *Eremmon*, apud eundem Authorem, 16. milliar. ab Eleutheropoli ad meridiem. Porrò locus erat non modicus, à Judæis frequentatus ejusdem Scriptoris ætate. De Carmelo major est disquisitio. Urbs Carmeli 10. milliar. ad Orientem Hebron, quàm Romanorum præsidium tenebat, legitur apud Eusebium. Eo loci greges habuisse suos credit Eusebius Nabal Carmelum; sed vix hæc mihi persuadentur; maluerim enim tres montes Carmelos distinguere, alterum juxta Pharan & *Maonim*, ubi Nabalis greges, & Saul triumphalem arcum, perpetuum victoriæ suæ in Amalec monumentum, erexit; alium juxta Ptolemaidam ad Mediterraneum; tertium ad Occidentem maris Mortui 10. mille passibus ab Hebron; de quo facilè postremo loco sermo est Josue 15. 25. ubi Maon & Ziph jungitur. Porrò alterius Urbis Ziph mentio occurrit in eodem capite ver. 24. jungiturque Asor, Cades, & Jethnam. Est etiam interdum Carmelus appellativum nomen.

Urbs Eleuteropolis, cujus frequenter nos in hac Lucubratione, & unde pariter Eusebius ac S. Hieronymus mensuras ferè omnium meridionalium Urbium Judææ deduxerunt, sita erat ad meridiem Masphę, ad Occidentem Morasthi & Odollam, ad Septentrionem Ceilæ atque Hebron. In Itinerario Antonini est 20. millibus passuum à Jerusalem, & 24. ab Ascalone (*u*). Quantum ab Eleuteropoli distet Hebron, nihil expressè Eusebius; sed ego 10. millia passuum circiter constituerim; posuit ille Ceilam 8. milliar. ab Eleuteropoli Hebron versùs. Itinerarium Burdegalense spatium constituit 30. milliar. inter Jerusalem & Hebron; sicut & 9. milliar. inter Betsur, Urbem Eleuteropoli proximam, & Hebron. Non longè aberat amœnissimus ager Sephar, secundùm viam è Gaza Jerusalem, & vicissim. Per hanc vallem iter dirigere Jerosolymam constituerat Holophernes; per hanc Rex Antiochus Eupator exercitum suum in eam Urbem deduxerat; & cùm inter eundum Urbem Betsuram offendisset, obsidione illam vallavit (*x*). Appellabatur via illa Idumęæ. Idem pariter ager insignis est cæde exercitûs Zaræ Regis Arabiæ (*y*), & diu post Gorgiæ copiarum Syriæ Imperatoris (*z*). Urbs Maresa non longè ab Eleuteropoli spectabatur. Per eandem viam & per agrum Sephalę è Gaza Jerusalem proficiscuntur nostrâ ætate Itinerantes.

Nec ultra nos de locis, quorum situs aliter in nostris, aliter in vulgaribus Tabulis constitutus est. Cætera in Commentario supplebimus, expectantes interim ut doctus aliquis Geographus meliora tradat & exactiora, quàm quæ nos vidimus in hoc argumento.

i *Euseb. in Asason-Thamar. Vide nov. edit. S. Hier.* Urbem hanc Eusebius mediam collocat inter Hebron & Jerusalem, quod Ezechielis loco planè repugnat.

k *Vide Petrum della Valle Epist. 12. pag. 340. & 336. Italic. Iter Orientale jussu Regis ann. 1621. per D. D. C. pag. 415. & Dudan. cap. 32. pag. 272. 273.*

l *Maundrell. pag. 145.*

m 1. *Reg. 27. 6.*

n *Hieron. in Mich. 1. 10.* Eusebius in libro de locis constituit 5. Mill. passibus ab Eleutheropoli Diospolim versùs.

o *Gen. 10. 1.*

p 2. *Par. 14. 14.*

q *Gen. 10. 19.*

r *Strab. l. 16. pag. 523.*

s 1. *Reg. 25. 20.*

t 1. *Reg. 23. 24. David & viri ejus erant in deserto Maon in Campestribus ad dexteram Jesimon.*

u *Vide Cellar. l. 3. c. 13. pag. 353. 354.*

x 1. *Macchab. 6. 31. &c.*

y 2. *Par. 14. 9.*

z 2. *Macchab. 12. 32. &c.*

DISSERTATIO

DE VERSIONE SEPTUAGINTA INTERPRETUM.

SI doctis tantummodò viris laborare constituissemus, frustrà nobis de hoc argumento, tot eruditissimis virorum sapientissimorum Commentariis excusso, tractandum iterum susciperemus. Cùm autem in eo simus consilio, ut unum veluti corpus tradamus disputationum, ad Prolegomena Scripturæ servientium, nunquam id nobis committendum censuimus, ne de Versione Septuaginta, celebratissimâ illâ semper in Ecclesia & peculiari S. Spiritûs afflatu, ut vetustis quibusdam Patribus creditum est, adornatâ (*a*), argumentum relinqueretur intactum.

Plura in hoc argumento comminisci succurrit multis, quibus res tota parùm assertis circumstantiis inferta est adeò, ut omnia in medium adducere, & in unam veluti methodum redigere, res sit omnium operosissima & plena difficultatis. Sanior Criticorum recentiorum pars de Versione Septuaginta historiam omnem variè expressam apud Aristæam, Philonem, Josephum, S. Justinum, S. Irenæum, S. Epiphanium, tanquam fabulosam penitus exsufflant. Alii genuinam defendentes, circumstantias nonnullas ad fabellas amandant. Persuasum tenent alii, à Septuaginta Interpretibus nonnisi quinque Libros Moysis Græcis literis ex Hebræo traditos; alii universam Scripturam malunt, quin & apocryphos plures Libros addunt nonnulli.

Nec minùs de tempore adornatæ Versionis dissident; alii enim constituunt sub Ptolemæo I. filio Lagi & patre Ptolemæi Philadelphi (*b*); alii verò, quæ communior est sententia, sub eodem Philadelpho; alii tandem multo recentiorem suspicantur (*c*), rati Versionem hanc, qualem nostrâ ætate habemus, adornatam circa ætatem Ptolemæi Philometoris, sexti post Ptolemæum Lagi, & quinti post Philadelphum Regis.

Non desunt qui autumaverint, Versionem Septuaginta nomine nunc inscriptam, non genuinum esse opus, sed in odium Christianorum fraude Judæorum corruptum (*d*), vel fortè Textum Hebræum, qualis hodie superest, alterum esse à genuino & vetusto. Suspicati sunt alii, Judæos Alexandrinos eo consilio inductos, ut Versionem hanc procurarent, quòd ignorarent Hebræum; ut autem authoritatem Operi suo conciliarent, nomen Septuaginta prefixisse, quasi scilicet jussu 72. Patrum magni Synedrii adornatum fuisset, vel saltem eorum authoritate probatum.

Tanto Judæorum Ægyptiorum assensu exceptam hanc Versionem refert Philo de vita Mosis l. 2. ut ejus rei memoriam annuo festo instituto consecrarent. Spectare licet, ait ille, singulis annis affluentem, non ex Judæis tantùm, sed ex advenis pariter turbam in Insulam Pharon, obsequii sui specimen exhibituram loco illi, ubi Versio Septuaginta primùm paruit, & gratias pro accepto beneficio, veluti si tum primum exciperent, acturi. Postquam factum Religioni suæ satis est, plena gaudii & pietatis convivia instruunt, alii sub tentoriis in litore maris, alii sub dio, majori planè voluptate, quàm si in Palatiis magnificentissimis celebrarent. Hæc Philo.

Sed hebraizantes Judæi ingratè adeò Versionem illam acceperunt (*e*), ut jejunium in ejus rei detestationem instituerent die 8. Thebet, Decembri nostro respondentis: tantus nimirum insedit horror de audacia Hellenistarum, qui prophanis literis Sacra Scripta tradere ausi fuerant. Fatalem profectò Israeli fuisse diem hujus Versionis censent (*f*), perinde ac illam, qua vituli aurei, Jeroboami scelere, consecrati sunt; & ad sacrilegii illius crimen Cæ-

a *Clemens Alexand. Strom. l. 1. Justin. Exhortat. ad Gent. & Dialog. cum Tryphone. Cyrill. Jerosolym. Cathech. 4. Irenæ. l. 3. adverf. hæres. c. 25. seu 21. Epiphan. de ponder. & mensur. Chrysost. in Genes. hom. 4. &c. August. de Doctr. Christ. l. 2. c. 15. & de consensu Evangelist. l. 2. c. 66.*

b *Vide Iren. & Clem. Alexandr. loc. cit. Anatol. in Comput. Paseh. Theodoret. præfat. in Pss.*

c *Borhart. de Animal. sacr. l. 2. c. 18. Usser. Syntag. de Septuaginta Interpr.*

d *Salmeron. Proleg. 5. 6.*

e *Scalig. not. ad Chronic. Euseb. ad A. 1734. pag. 134.*

f *In Massechet. Sopherim.*